



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Svmma Totivs Theologiae S. Thomae Aqvinatis, Doctoris Angelici Ordinis Prædicatorum**

Svpplementvm Tertiæ Partis

**Thomas <von Aquin, Heiliger>**

**Romae, 1619**

De his qui possunt excommunicare, & excommunicari. Quæstio 22.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38817**

municatur; & tunc si humiliter sustinet, humilitatis meritum recompensat excommunicationis damnum. Ad primum ergo dicendum, quod quamuis homo gratiam Dei iniuste amittere non possit, potest tamen amittere illa iniuste, quæ ex parte nostra sunt, quæ ad gratiam Dei disponunt: sicut patet, si subtrahitur alicui doctrinæ verbum quod ei debetur. Et hoc modo excommunicatio gratiam Dei subtrahere dicitur, ut ex prædictis patet †.

Ad secundum dicendum, quod Hieronymus \* loquitur quantum ad culpam, & non quantum ad penas, quæ possunt etiam iniuste infligi à rectoribus Ecclesiarum. † ar. 2. co. & ad 3. & ar pra sen. arg. 1 \* loc. cit. in arg 2.

QVÆST. XXII.

De his, qui possunt excommunicare & excommunicari, in sex articulos diuisa.

Deinde considerandum est de his, quæ possunt excommunicare & excommunicari.

- ¶ Circa quod quærentur sex.
- ¶ Primo, utrum quilibet sacerdos possit excommunicare?
- ¶ Secundo, utrum non sacerdos excommunicare possit?
- ¶ Tertio, utrum excommunicatus vel suspensus possit alium excommunicare?
- ¶ Quarto, utrum aliquis seipsum, vel aequalem, vel superiorem possit excommunicare?
- ¶ Quinto, utrum aliqua vniuersitas excommunicari possit?
- ¶ Sexto, utrum semel excommunicatus excommunicari possit vterius?

ARTIC. I.

Utrum quilibet sacerdos possit excommunicare? Ad primum sic proceditur. Videtur, quod quilibet sacerdos possit excommunicare. Excommunicatio enim est actus clauium. Sed quilibet sacerdos habet clauem. Ergo quilibet sacerdos potest excommunicare.

¶ Præ-

85  
Tho. in 4.  
d. 18. q. 2  
ar. 2. q. 1.  
& seq.

¶ 2 Præterea, Maius est absoluere & ligare in foro pœnitentiæ, quam in foro iudicij. Sed quilibet sacerdos potest sibi subditos in foro pœnitentiæ absoluere & ligare. Ergo etiam potest sibi subditos quilibet sacerdos excommunicare.

SED contra, Ea in quibus imminet periculum, sunt maioribus referuanda. Sed pœna excommunicationis est valde periculosa, nisi cum moderamine fiat. Ergo non debet cuilibet sacerdoti committi.

*Conc. Tri-  
dent. sess.  
25. de re-  
for. c. 3 in  
cip. quã-  
uis.*

RESPONDEO dicendum, quòd in foro conſcientiæ causa agitùr inter hominem & Deum. In foro autem exterioris iudicij causa agitùr hominis ad hominem: & ideò absolutio vel ligatio quæ vnum hominem obligat quo ad Deum tantum, pertinet ad forum pœnitentiæ: sed illa quæ hominem obligat in comparatione ad alios homines, ad forum publicum exterioris iudicij pertinet. Et quia homo per excommunicationem à communione fidelium separatur, ideò excommunicatio ad forum exterius pertinet: & ideò illi soli possunt excommunicare, qui habent iurisdictionem in foro iudiciali. Et propter hoc soli Episcopi propria auctoritate, & maiores Prælati, secundum communiorem opinionem possunt excommunicare. Sed presbyteri parochiales non nisi ex commissione eis facta, vel in certis casibus, sicut in furto & rapina & huiusmodi: in quibus est extra iure concessum quod excommunicare possint. Alii autem dixerunt quod etiam sacerdotes parochiales possunt excommunicare. Sed prædicta opinio rationabilior.

\* *hec eodem co.*

Ad primum ergo dicendum, quòd excommunicatio non est actus clavis directè, sed magis respectu exterioris iudicij. Sed sententia excommunicationis quamvis in exteriori iudicio promulgetur, quia tamen aliquo modo pertinet ad aditum regni, secundum quod Ecclesia militans est via ad triumphum: ideò etiam talis iurisdictione per quam homo excommunicare potest, clavis potest dici. Et secundum hoc

hoc à quibusdam distinguitur, quòd est clavis ordinis, quam omnes sacerdotes habent; & clavis iurisdictionis in foro iudiciali, quam habent soli iudices exterioris fori. Vtramque tamen Deus Petro contulit, Matth. 16. & ab ipso in alios descendit, qui utramque habent.

Ad secundum dicendum, quòd sacerdotes parochiales habent quidem iurisdictionem in subditos suos quantum ad forum conscientie, sed non quantum ad forum iudiciale, quia non possunt conveniri coram eis in causis contentiosis: & ideò excommunicare non possunt, sed absolvere possunt in foro penitentiali. Et quamvis forum penitentiale sit dignius, tamen in foro iudiciali maior solemnitas requiritur: quia in eo oportet, quòd non solum Deo, sed etiam homini satisfiat.

ARTIC. II.

*Utrum non sacerdotes excommunicare possint?*

86

**A**D secundum sic proceditur. Videtur, quòd non sacerdotes excommunicare non possint. Quia excommunicatio est actus clavium, ut in 4. Sententiarum dicitur †. Sed non sacerdotes non habent

† lib. 4. d. 19. § G

claves\*. Ergo excommunicare non possunt. Præterea, Plus requiritur ad excommunicationem, quam ad absolutionem in foro penitentie. Sed non sacerdos in foro penitentie absolvere non potest. Ergo nec excommunicationem inferre.

\* ut d. 11. est supra q. 19. ar. 3. & 4.

SED contra est, quòd Archidiaconi, Legati, & Electi excommunicant: qui quandoque non sunt sacerdotes. Ergo non solum sacerdotes excommunicare possunt\*.

\* ut etiam dist. 11. est q. 16. ar. 3. cor.

**RESPONDEO** dicendum, quòd sacramenta in quibus gratia confertur, dispensare, ad solos sacerdotes pertinet: & ideò ipsi soli possunt absolvere, & ligare in foro penitentiali. Sed excommunicatio non directe respicit gratiam: sed ex consequenti, in quantum homo suffragijs Ecclesie privatur, quæ ad gratiam disponunt, vel in gratia conservant\*. & ideò etiam

\* 4. Sent. d. 18. § G in fin.

etiam non sacerdotes, dummodo iurisdictionem habeant in foro contentioso, possunt excommunicare.

Ad primum ergo dicendum, quod quamvis non habeant clauem ordinis, habent tamen clauem iurisdictionis.

Ad secundum dicendum, quod ista duo se habent sicut excedentia & excessa. Et ideo alicui competit vnum, cui non competit aliud.

## ARTIC. III.

*Vtrum excommunicatus vel suspensus possit alium excommunicare?*

87

**A**D tertium sic proceditur. Videtur, quod excommunicatus vel suspensus possit alium excommunicare. Ille enim qui est excommunicatus vel suspensus, neque ordinem, neque iurisdictionem amittit: quia neque reordinatur cum absoluitur, neque cura iterum ei committitur. Sed excommunicatio non requirit nisi ordinem vel iurisdictionem. Ergo etiam excommunicatus vel suspensus excommunicare potest.

¶ 2 Præterea, Maius est conficere corpus Christi, quam excommunicare. Sed excommunicari conficere possunt. Ergo & excommunicare possunt.

† rtho. 4

d. 13. q. 1

ar. 1. q. 3.

q. 3. p. 9.

82. ar. 7.

24. q. 1.

c. 4.

**S**ED contra, Ligatus corporaliter, non potest alium ligare. Sed vinculum spirituale est fortius, quam corporale. Ergo excommunicatus non potest alium excommunicare: cum excommunicatio sit vinculum spirituale.

**R**ESPONDEO dicendum, quod vsus iurisdictionis est in comparatione ad alium hominem: & ideo cum omnis excommunicatus à communione fidelium separetur, quilibet excommunicatus vsu iurisdictionis priuatur; & quia excommunicatio est iurisdictionis, ideo excommunicatus excommunicare non potest: & eadem ratio est de suspensio à iurisdictione. Si enim sit suspensus ab ordine tantum, tunc non potest ea quæ sunt ordinis; sed potest ea quæ sunt iurisdictionis: & e contra, si sit suspensus à iurisdictione.

tionem, & non ab ordine: si autem ab utroque, tunc neutrum potest.

Ad primum ergo dicendum, quod quāvis non amittat iurisdictionē, amittit tamē iurisdictionis vsum.

Ad secundum dicendum, quod conficere consequitur potestatem characteris, qui indelebilis est: & ideo homo, ex quo characterem ordinis habet, semper potest conficere, licet non semper ei liceat. Secus autem de excommunicatione, quæ iurisdictionem sequitur, quæ auferri potest & ligari.

ARTIC. IV.

*Vtrum aliquis possit seipsum, vel æqualem, vel superiorem excommunicare?*

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod aliquis possit seipsum, vel æqualem, vel superiorem excommunicare. Quia angelus Dei maior erat Paulo, Mathæi vndecimo, Qui minor est in regno cælorū, maior est illo, quo nemo inter natos mulierum maior. Sed Paulus excommunicavit angelum de cælo, ut patet Galat. 1. Ergo homo potest superiorem excommunicare.

*\*hanc obiect. cū solut. habes 24. q. 1. c. 36.*

88  
*Tho. ubi supra ar. 3. q. 1. & seq.*

¶ 2 Præterea, Sacerdos aliquando excommunicatur in generali pro furto, vel pro aliquo huiusmodi. Sed potest contingere, quod ipsemet fecit, vel superior, aut æqualis. Ergo aliquis potest se, vel æqualem, vel superiorem excommunicare.

¶ 3 Præterea, Aliquis potest superiorem absolvere in foro pœnitentiali, vel æqualem: sicut cum Episcopi suis subditis confitentur, & cum vnus sacerdos alteri venialia confitetur. Ergo videtur, quod etiam excommunicare aliquis superiorem vel æqualem possit.

SED contra, Excōicatio est actus iurisdictionis. Sed aliquis non habet in se iurisdictionem, quia in eadem causā non potest quis esse iudex & reus: nec iterum superiorem aut æqualem. Ergo non potest aliquis superiorem, vel æqualem, aut se excōicari.

RESPONDEO dicendū, quod cum per iurisdictionem

nem aliquis constituatur in gradu superioritatis respectu eius, in quem habet iurisdictionem, quia iudex est eius: ideo nullus habet in seipsum, vel superiorem, vel æqualem, iurisdictionem; & per consequens nullus potest seipsum excommunicare, vel superiorem aut æqualem.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus loquitur sub hypothese, id est, si poneretur angelus peccare: sic enim non esset Apostolo superior, sed inferior. Nec est inconueniens quod in conditionibus, quarum antecedentia impossibilia sunt, & consequentia impossibilia sint.

Ad secundum dicendum, quod in tali casu nullus excommunicatur: quia par in parem non habet imperium.

Ad tertium dicendum, quod absolutio & ligatio in foro confessionis est quo ad Deum tantum, non quem aliquis alio superior, redditur inferior per peccatum: sed excommunicatio est in iudicio exteriori, in quo aliquis non amittit superioritatem ex hoc peccato quod peccat. unde non est similis ratio de foro confessionis. Et tamen etiam in foro confessionis aliquis potest seipsum absolueri, nec superiorem, aut æqualem de mortali, nisi ex commissione sibi facta. De venialibus autem potest: quia venialia ex quibuslibet sacramentis gratiam conferentibus, remittuntur. Unde remissio venialium sequitur potestatem ordinis.

ARTIC. V.

*Vtrum in aliquam vniuersitatem sententia excommunicationis ferri possit?*

**89**  
*s. Romana S. in vniuersitate frat. de sent. excom. li. 6.*  
**A**D quintum sic proceditur. Videtur, quod in aliquam vniuersitatem sententia excommunicationis ferri possit. Contingit enim quod aliqua vniuersitas sibi in malitia colligatur. Sed pro malitia in qua aliquis communax exiterit, debet excommunicatio ferri. Ergo potest in aliquam vniuersitatem ferri excommunicatio.

**¶ 2** Præterea, illud quod est grauius, non potest excommunicari.

communicatione, est separatio à sacramentis Ecclesie, sed aliquando tota ciuitas interdicatur à diuinis. Ergo & excommunicari vniuersitas aliqua potest:

SED contra est gloss. August. & Matth. 13. quæ dicit, quòd princeps, & multitudo non est excommunicanda.

\* gloss. or. sup. illud Matth. 13.

RESPONDEO dicendum, quòd excommunicari non debet aliquis nisi pro peccato mortali. Peccatum autem in actu consistit. Actus autem non est communis, sed singularium personarum, vt frequenter: & ideo singuli de communitate excommunicari possunt, non autem ipsa cõmunitas\*. Et si etiam quandoque actus sit alicuius totius multitudinis, vt quando multi nauem trahunt, quam nullus per se trahere possit: tamen non est probabile quòd aliqua communitas ita tota ad malum consentiat, quin aliqui sint dissentientes. Et quia non est Dei, qui iudicat omnem terram, vt condemnet iustum cum impio: vt dicitur Genes. 18. ideo Ecclesia, quæ Dei iudicium imitari debet, satis prouidè statuit, vt communitas non excommunicetur, ne cum lolijs & zizanijs, simul tradicetur & triticum.

Ne forte colligentes zizania, et ex Mat. gust. epi. 75, ad auxilium. et habetur 24. q. 3. c. 1. si habes. 24. q. 3. c. Quid autem.

Ad primum ergo patet solutio ex dictis\*.

\* in corp. art.

Ad secundum dicendum, quòd suspensio non tanta pena est, quanta excommunicatio: quia suspensi non fraudantur Ecclesie suffragijs, sicut excommunicati\*. Vnde etiam aliquis sine peccato proprio suspenditur, sicut & totum regnum ponitur sub interdictio pro peccato Regis: & ideo non est simile de excommunicatione & suspensione.

\* ut patet ex ar. 2. huius q. cor. et loco ibid. citato.

ARTIC. VI.

Utrum ille qui semel est excommunicatus, ulterius excommunicari possit?

90

AD sextum sic proceditur. Videtur, quòd ille qui semel est excommunicatus, ulterius excommunicari non possit. Nam 1. Cor. 5. dicit Apostolus, Quid enim mihi de his qui foris sunt, iudicare? Sed excommunicati iam sunt extra Ecclesiam. Ergo super

per



per eos Ecclesia iudicium non habet, vt possit eos iterum excommunicare.

\* vt dicitur est q. preced. art. 1. ¶ 2 Præterea, \* Excommunicatio est separatio quædam à diuinis, & à communione fidelium. Sed postquam aliquis est priuatus aliquo, non potest iterum illo priuari. Ergo vnus excommunicatus non potest iterum excommunicari.

SED contra, Excommunicatio, quædam pœna est & medicinale remedium \*. Sed pœnæ omnes, & medicinæ iterantur, cum causa exigit. Ergo & excommunicatio iterari potest.

RESPONDEO dicendum, quod ille qui excommunicatus est vna excommunicatione, potest iterum excommunicari, vel per eiusdem excommunicationis iterationem, ad maiorem sui confusionem, vt sic peccato resiliat: vel propter alias causas. Et tunc sunt principales excommunicationes, quot causis quibus aliquis excommunicatur.

Ad primum ergo dicendum, quod Apostolus loquitur de paganis, & alijs infidelibus, qui non habent characterem, per quem annumerati sint populo Dei. Sed quia character baptismalis, quo quis populo Dei annumeratur, est indelebilis; \* ideo semper remanet baptizatus aliquo modo de Ecclesia: & sic Ecclesia semper de ipso iudicare potest.

Ad secundum dicendum, quod priuatio quantum non recipiat magis & minus secundum se, recipit magis & minus secundum causam suam. Et secundum hoc excommunicatio potest iterari; & magis est elongatus a suffragijs Ecclesiæ qui pluries excommunicatus, quam qui semel tantum.

QVÆST. XXIII.

De participatione cum excommunicatis, in III articulos diuisa.

DEINDE considerandum est de participatione cum excommunicatis.

¶ Circa quod quærentur tria.

¶ Primo, virum liceat excommunicato participare.

cap. nulli e. cum de fides. c. significauit, c. nuper, c. inter alias. de sentent. excom.